

Reinhard:

De commenda
to ejusque
actionibus









8
MICH. HENRICI GEORGII
REINHARDI,
AULÆ ET REGIMINIS SAXO-VINARIENSIS AD-
VOCATI EXTRAORD.

P. 207.
COMMENTATIO
DE
COMMODATO
EIUSQUE
ACTIONIBUS.
EX FONTIBUS LEGUM
ERUTA.



ERFORDIÆ, LITERIS & IMPENSIS JUNGNICOLIANIS,
1752.



11.



MICH. HENRICI GEORGII
REINHARDI

AULAE ET REGIMINIS SAXO-VINARIENSIS AD
VOCATI EXTRAORD.

COMMENTATIO

DE

COMMODATO


IN

ACTIONIBUS

ET FORIBUS LEGUM
PRUTA



LEIPZIGI & ALTIORUM REGIMINIS SACRO-VINARIENSIS



VIRO
ILLUSTRI CONSULTISSIMOQUE,
DOMINO
IOAN. FRIDERICO
WAGNERO,

SERENISSIMI SAXONUM DUCIS VINA-
RIENSIS AB AULÆ, REGIMINIS ET SENATUS
ECCLESIASTICI CONSILIIIS,

PATRONO GRATIOSO

ET

ICTO EXCELLENTISSIMO,

HANC

COMMENTATIONEM

DE

COMMODATO

EA, QVA FAREST, OBSERVANTIA

D. D. D.

M. H. G. REINHARDVS.

VIR
ILLVSTRIS ET CONSVLTISSIME,
PATRONE GRATIOSE!



Cur, TVO ILLVSTRI nomini, PATRONE GRATIOSE, exiguas vilesque hasce paginas consecrare audeam, omnes facile perspicient, qui TVA in me collata beneficia haud ignorant. Tot enim beneficiis abs TE obrutus sum, ut mihi omnis spes gratias reddendi, etiamsi omnes meas vires, quas iam possideo & in posterum habebō, colligere vellem, sit praecisa. Magnū

gnum quoque erit beneficium solatium-
que, VIR ILLUSTRIS, si hanc brevem &
dictionis decoribus haud ornatam COM-
MENTATIONEM de COMMODATO, pro
TVA eximia benevolentia serena fronte
exceperis. Idque futurum esse, laetissima
mente spero. In posterum limatiora scri-
pta TVIS exhibebo oculis. Ceterum non
desinam, DEVM precari, vt TE, PATRONE
GRATIOSE, vna cum ILLUSTRIS CONIVGE
summaeque spei FILIO, saluum praestet,
feruetque incolumem, ad publicae rei com-
modum, & cordatorum solatium.

ILLVSTRIS NOMINIS
TVI

Dabam Burtstadii d. XIV. Julii

1752.

cultor observantissimus

AVCTOR.



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

A V C T O R .

Omnes fere materias iuris, praesertim civilis, a Iuris iam pertractatas multasque paginas illis esse dicatas, haud ignoro: scio quoque eruditos de contractibus integros libros edidisse: at non ignoro, *de commodato* paucissima extare scripta, si compendia iuris civilis exceperis. Qua re commotus, constitui, hanc praesentem **COMMENTATIONEM** de **COMMODATO** conscribere & publici iuris facere: quam, ut benevola mente accipias **LECTOR BENEVOLE**, etiam atque etiam rogo. Paucos adlegavi Doctores, plures autem leges, e quibus omnia, quae videbis, hausi: leges enim firmiora sunt fundamenta, quam nonnullorum Doctorum opiniones, qui leges deserunt & suas opiniones & cogitationes legibus praefereunt. Vale, lector amice, meisque conatibus fave. Scribebam Buttstadii d. XIV. Julii A. O. R. MDCCLII.

CON-



CONTENTA PARAGRAPHORVM.

- §. I. *Definitio commodati.*
§. II. *Quid sit commodans & commo-
datarius.*
§. III. *Lis trium veterum JCorum.*
§. IV. *Separatio definitionis.*
§. V. *Consequentia ex prima positione.*
§. VI. *Consequentia ex 2da positione.*
§. VII. *Quid sit res non fungibil. &
respons. ad objectionem.*
§. VIII. *Res alienas & furtivas com-
modare licet, & actiones contra
illum, qui nolente domino a ser-
vo Rom. rem comodat. accepe-
rat.*
§. IX. *Consequentia e IIIcia post. re-
spons. ad Schilt. & Lauterb. opi-
niones & in not. definit. doli &
culparum*
§. X. *De casu in commod. non prae-
stando.*
§. XI. & XII. *De culpa praestata.*
§. XIII. *Consequentia e IVta post.*
§. XIV. *Conseq. e Vta positione.*
§. XV. - - e VIta post.
§. XVI. *de retentione rei commo-
datae.*
§. XVII. *Conseq. e VIIma pos.*
§. XVIII. - - e VIIIva pos.
§. XIX. XX. XXI. & XXII. *Different.
ab aliis contr.*
§. XXIII - - XXVI. *Convenientia cum
aliis contractibus.*
§. XXVII. *Nomina actionum ex com-
mod. descendantium.*
§. XXVIII. *Def. act. dir.*
§. XXIX. *Libellus act. dir.*
§. XXX. *De act. contra pupillum pro-
pter rem commod.*
§. XXXI. *Quomodo agendum contra
furijs.*
§. XXXII. *Quomodo contra illum,
qui rem ad alium adhibuit u-
sum.*
§. XXXIII. *De act. contra illum, cui
re m*

- rem ad oppignorandum commo-*
davi.
- §. XLIII. -- XLVI. *Contra quos agitur*
act, contr.
- §. XXXIV. *De haered. commodata-*
rii.
- §. XLVII. *Except. contr. act. direc-*
ctam.
- §. XXXV. & XXXVI. *De act. contra*
alios,
- §. XLVIII. *Except. deficient. domi-*
nii.
- §. XXXVII. *De re inspectori data.*
- §. XLIX. *Except. contra act. contra-*
riam.
- §. XXXVIII. *De re pluribus commo-*
data.
- §. L. *De probatione amissionis, cul-*
paе, doli, cas. fort. & domi-
nii.
- §. XXXIX. *De alia commodati specie.*
- §. LI. *De commodato cum ecclesia in-*
cundo.
- §. XL. *De re per nuncium perdita.*
- §. LII. *Vorum.*
- §. XLI. *Act. contr. def. & libellus.*
- §. XLII. *Act. contr. sine directa mo-*
veri pot.





QVOD FELIX FAVSTVMQVE IVBEAT
JEHOVA!



§. I.

COMM DATVM est *contractus realis quo aliquis alicui rem non fungibilem, & quidem gratis ad certum usum concedit, hac lege, ut finito temporis huic usui destinati spatio, res in specie non deteriorata restituatur.*

§. II.

Ille, qui rem suam ad certum usum gratis concedit, *commodans* seu *commodator*; is autem, qui rem illam gratis utendam accipit, *commodatarius* audit.

§. III.

Invenimus in

L. 1. §. 1. ff. *commod. vel contr.*
pugnam Jctorum ratione vocis *commodati* & distinctionem a tribus olim celeberrimis Jctis excogitatam inter *commodatum* & *utendum*. Labeo putabat, inter *commodatum* & *utendum* tantum interesse, quam inter genus & speciem, & non commodari res soli, sed tantum res mobiles, rem soli autem dari *utendam*. Cassius contrariam fovebat

B

senten-

sententiam: & *Vivianus* amplius extendebat, qui etiam servitutes commodari posse opinabatur. Quid mihi vero circa hanc litem iustum videatur, & utrum tantum mobilia, an quoque immobilia & servitutes possint commodari? infra erit dicendum.

§. IV.

Vt autem definitionem supra datam separemus, & ea, quae ex partibus separatis sequuntur, eruamus, necesse esse opinor. Vt autem iam supra audivimus **COMMODATVM**

- I. est contractus realis,
- II. quo aliquis alicui rem non fungibilem,
- III. & quidem gratis
- IV. ad usum
- V. certum concedit,
- VI. hac lege, vt finito temporis huic vsui destinati spatio,
- VII. res in specie,
- VIII. non deteriorata restituatur.

§. V.

Quia, vt ex primo apparet, commodatum est *contractus realis*, sequitur, vt 1) ad consummandum commodati contractum non solum duarum pluriumve personarum consensus, sed etiam 2) rei traditio requiratur; contractus enim realis est contractus, ad cuius perfectionem praeter contrahentium consensum rei traditio requiritur; vt igitur 3) omnes traditionis modi, sicut in aliis contractibus, ita etiam in hoc locum habeant, vt 4) sine traditione haud possit existere commodatum, sed tantum *pactum de commodando*.

§. VI.

Ex secundo discimus, tantum *res non fungibiles* posse commodari. Vnde sequitur, vt 1) mobilia & immobilia, 2) corporalia & incorporalia, immo 3) servitutes, quae etiam incorporabilibus adnumerantur, quia sunt iura, possint commodari, & vt 4) his inter tres *actos*, quorum mentio supra facta est, agitata, sit inanis.

§. VII.

§. VII.

Res non fungibilis est, quae usu non absumitur, vel vt clarius & applicabilius loquar, quae ex conventionem partium in specie est restituenda. Posset autem nobis obiici,

L. 4. ff. commod. vel contr.

loqui de commodato, e pecunia consistente. Cum vero pecunia esset res fungibilis, quia usu absumeretur; consequens esset, vt definitio nostra strictior sit suo definito. Respondemus autem, pecunia potest esse *res fungibilis & non fungibilis*, quia semper conventionem & voluntatem partium respicere debemus: partes enim tam sibi met-ipsis quam contractui ponunt legem,

MEV. P. II. dec. 55. & 90.

secundum quam iudicium est ferendum. Pecunia proprie est *res fungibilis*; si vero alicui pecunia detur, ea conditione, non usu consumatur, sed tantum vt dicis gratia, secundum verba citatae legis, numerationis loco intercedat, tunc transit in rem non fungibilem & potest commodari.

Qua de re

L. 3. §. ult. ff. commod. &c.

regulam, quod nempe commodatum consistere debeat ex re non fungibili, limitans, sequentis est tenoris:

Non potest commodari id, quod usu consumitur, nisi forte ad pompam vel ostentationem quis accipiat.

§. IIX.

Notandum quoque, res alienas

L. 15. ff. b. r.

licitum, nec furibus praedonibusque res furtivas commodare prohibitum esse, immo illis competere actionem commodati.

L. 16. ff. b. r.

L. 64. ff. de iudic. &c.

Si servus Romanus alicui rem domini sui sine eius consensu, commoda-
verat, tunc locus erat actioni & furti & commodati, & praeterea
conditioni ex causa furtiva.

L. 14. ff. h. t.

L. 14. C. de furt. & serv. corr.

§. IX.

Tertium nos docet, rem *gratis* debere in usum concedi. Unde pronò fluit alveo, 1) accedente mercede commodatum transire in locationem conductionem,

L. 5. §. 12. ff. h. t.

§. 2. Inst. quib. mod. re contr. oblig.

& tunc actioni ex commodato non amplius esse locum, sed competere actionem vel in factum vel ex locato conducto, 2) honorarium tamen solvi posse, quia nullam cum usu concessò requirit proportionem,

Vid. IUST. HENN. BOEHMERI introd. in ius Digest. lib.

XI. Tit. VI. §. 6.

modo honorarium arbitrio commodatarii relinquatur, nec partes de eo convenient,

Vid. IO. GOTTFR. SCHAVMBURGII annotationes ad

GEORG. AD. STRVIL. iurisp. Rom. German. for. lib. III.

Tit. V. aphor. IV. ad voc. *gratis* pag. 634.

3) commodatarium modica impendia ferre teneri. Quodsi igitur aliquis equum mihi commodasset, & equus in itinere soleas ferreas perdidisset, tunc teneor, ut novae pedibus imponantur, & restitutionem harum impensarum a commodante repetere nequeo. Sin autem equus in itinere sine mea culpa aegrotasset, tunc commodans impensas in valetudinem equi commodati factas, nisi sint infra mercedem alias pro equo conducto solvi solitam, restituere tenetur.

PAVL. 2. sent. 4. §. 2. 3.

Impensae enim valetudinis ad maiores pertinent.

L. 18. §. 2. ff. h. t.

4) Commodatarium ad omnem teneri diligentiam, i. e. illam, quam quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet,

L. cit. pr.

ideo dolum (*), culpam latam (**), levem (***) & levissimam (****)

prae-

praestare debet, quando nempe commodatarii tantum, quod plerumque fit, in hoc contractu versatur utilitas,

L. 5. §. 2. ff. cod.

neutiquam tamen obligatur, in periculo communi res commodatas (†) suis praeferre, sed potest servandarum suarum causa commodatas postponere. SCHILTERVS & LAVTERBACHIVS contrariam defendere cupiunt sententiam ad

L. cit. §. 4. cod.

provocantes, ubi de interitu rerum commodatarum per incendium, ruinam aliudve damnum fatale factu loquitur. Lex citata quidem ait, illum teneri de commodato, qui, cum posset res commodatas salvas facere, suas praetulit. Quod ad me attinet, huic legi limitationem adiciendam esse iudico, nempe si quis e. g. in periculo incendii suis rebus praelatis etiam res commodatas sine periculo potuisset salvas facere & has neglexerit, tunc tenetur de rebus commodatis, quia aliqualis intervenit culpa; sine hac autem limitatione haec lex pugnet contra officia hominis erga seipsum; amor enim incipit a se ipso. Invenimus quoque, si Corpus Iuris perscrutemur, duas leges contrariam foventes sententiam & non solum contra

L. 5. §. 4. ff. cod.

sed etiam contra dictos ICTOS pugnantes, quarum vna est

L. 14. ff. de praeser. verb.

altera

L. 6. C. de servitut.

Quod ad primam legem attinet, haec illi, ad quam memorati ICTI provocant, omnino praeferenda est: in interpretandis enim legibus & contractibus, nec non vbi ius dubium obvenit, vti hic, semper mitior seu benignior amplectenda est sententia,

L. 56. ff. de R. I.

L. 192. §. 1. cod.

& verisimilia sequi debemus.

L. 114. ff. cod.

MEV. P. III, dec. 180. n. 5.

Vt autem ad secundam perveniam legem, habemus regulam omnibus pulcherrime notam, *quod lex posterior deroget priori*, unde sequitur, vt quoque adlegata lex Codicis deroget

L. 5. §. 4. ff. commod.

Nam leges Codicis posteriores sunt legibus Digestorum; & per consequens illae habent vim his derogandi.

(*) *Dolum esse vel bonum vel malum, notius est; de hoc loquimur. Est autem dolum malus omnis calliditas, fallacia, machinatio ad decipiendum, fallendum, circumveniendum alterum adhibita.*

L. 1. §. 2. ff. de dol.

Vt autem clarius cum

IUST. HENN. BOEHMERO in introduct. in ius Di-

gest. ad tit. de dol.

loquar, dolum est *quodlibet factum illicitum, quo data opera & ex proposito alteri damnum inferre intendimus.* Queritur, an pactum

in commodato *de dolo futuro non praestando* licitum sit & valeat? Respondetur, minime,

L. 17. ff. h. r.

occasio enim delicti pacto acquiri nequit.

(**) *Culpa est laesio per omissionem debitae diligentiae facta. Icti tres gradus diligentiae constituunt, maximum, medium & infimum. Qui infimum diligentiae gradum i. e. ne illam quidem diligentiam, quam etiam dissoluti in rebus, de quibus sermo est, adhibent, non observat, culpa latae reus est, quae in omni negotio, si depositum & praecarium, vbi tantum dolum praestatur,*

L. 23. ff. de R. I.

exceperis, praestanda est, culpa enim lata dolum est.

(***) *Qui medium diligentiae gradum i. e. illam diligentiam, quam patresfamilias diligentes in rebus, de quibus sermo est, adhibere solent, omittit, de culpa levi tenetur.*

(****) *Qui maximum diligentiae gradum seu maximam diligentiam, quam cogitare possumus & in homines cadere potest, non admittit, culpam committit levissimam.*

(†) Alii

(†) Alii distinguunt, utrum res commodata vilior an pretiosior sit re propria, & rem pretiosiore commodatam rei propriae viliori esse praefendam, statuunt. SAM. STRYKIVS *in usu mod. Pandectar. ad b. t. §. 10.* aliam suppeditat distinctionem. Alii de his iudicent distinctionibus.

§. X.

Casum (*) commodatarius regulariter (**) non praestat, sed eundem sentit commodans, quia dominium rei commodatae remanet in commodante: & quod senectute contingit, vel morte, vel vi latronum ereptum est, aut si quid simile accidit, commodatario imputari nequit.

L. 5. §. 4. ff. b. t.

L. 1. C. cod.

L. 23. ff. de R. I.

(*) Casus est eventus, qui prudentia humana neque praevideri neque averti potuit. Hunc nemo praestat, sed eundem sentit dominus,

Culpa quoque caret, qui scit, sed prohibere non potuit.

L. 50. ff. de R. I.

(**) Nisi ob conventionem, quando nempe commodatarius ultro casum in se suscepit.

L. 1. C. de commod.

L. 5. §. 3. ff. cod.

vel ob moram, vel ob intervenientem culpam.

§. XI.

Quaeritur, quaenam culpa tunc sit praestanda, quando commodantis tantum vel utriusque partis in commodato versatur utilitas? Respondemus, quando commodatum fit commodantis utilitatis gratia, tunc commodans *culpam levissimam*, commodatarius autem *culpam latam* praestare tenetur: quando autem utraque pars utilitatem e commodato haurit, tunc *culpam levem* sibi invicem praestare debent contrahentes.

§. XII.

§. XII.

Commodatum in quo commodantis tantum vel vtriusque partis utilitas reperitur, audit *irregulare*, & quando lis oritur, probatione opus est: in dubio enim praesumitur commodatarii tantum versari utilitatem,

MASCARD. de prob. concl. 327.

quamvis quoque commodanti in commodato, quod commodatarii gratia tantum celebratur, *dolum & culpam latam* praestare incumbat.

§. XIII.

Ex quarto colligimus rem ad *usum* tantum concedi. Vnde fluit 1) in commodato possessionem & proprietatem rei commodatae non transire in commodatarium, sed commodantem manere illius dominum,

L. 8. ff. b. r.

L. 9. ff. eod.

quamvis pactum de dominio ad certum tempus in commodatarium transferendo, accedere queat; quo ipso autem commodatum fit irregulare, & commodatario, ratione translati ad certum tempus dominii, incumbit omne periculum durante hoc tempore praestare. Ideoque 2) commodantem sentire casum & damnum ab alio iniuria datum,

L. 19. ff. eod.

nisi dolus culpave commodatarii antecesserit, tunc enim tenetur commodatarius. Quodsi igitur alicui equum commodavero, ut ad villam duceret, ille vero ad bellum duxerit & equus occisus fuerit, tunc commodatarius tenetur de equo commodato, quia casum potuisset evitare. Aliud est, si quis equum mihi ad bellum commodaverit, tunc non teneor de casu, quia commodans tacite in instans periculum consentit. Non tamen 3) actionem vindicatoriam contra tertium sive bonae, sive malae fidei possessorem, propter paroemiam iuris Germanici: *Hand muß Hand wahren* *), quae vero hodie in Saxonia usu destituitur, locum invenire.

Vid. ill. 10. RVD. ENGAVII, elem. iur. German. lib. III. tit. IV. §. 33. p. m. 521.

Cui

Cui contradicit

b. IO. GOTTFR. SCHAVMBVRG. in annotat. ad GE-
ORG. AD. STRVII. iurispr. Rom. German. for. lib. III.
Tit. V. aphor. IV. ad verb. *ad vsum certum* :

putans, quia commodans dominium retineret, commodantem quo-
que habere facultatem rem a quocunque possessore vindicandi, quo-
cum conveniunt.

CARPZ. P. 2. c. 26. d. 5. n. 7.

& IO. HIER. HERRMAN, im allgem. teutsch. jur. Lex. P. I.
voc. *commodatum*.

Hi loquuntur secundum ius civile, ille vero, nempe illustri IO. RVD.
ENGAIVS, rem secundum ius Germanicum (***) proponit.

(*) Qui scire cupit, vtrum haec dispositio : Hand muß Hand wahren, sit
aqua an iniqua, ille vel ipse iudicare vel

SAM. STRYKII Vñ. mod. Pandect. ad h. t. §. VIII.
adire potest.

(**) Iure Germanico autem non simpliciter dominium transfertur in com-
modatarium, quia iure illo ne quidem periculum praestare tenetur,
ad quod alias obligaretur, si rei commodatae dominus factus esset, quod
nos docet:

SPEC. SVEVIC. leg. 226.

leihet ein Mann ein Pferd an eine Stet, und benennet ihm die, und
er leihet es ihm umsonst, und geschiehet ihm Zcht bis an die Stet, er
büßet noch geltet ihm davon nichts, ob er es recht weise geritten, und
ihm sein Futter giebet. Und reitet er es denn fürbaß, denn an die
Stet, die er ihm nennet, und geschiehet ihm denn ichts, er muß es
gelten, wird es verstoßlen oder geraubet, er muß es gelten, nimmt es
aber der gemeine Tod hin, er gilt sein nicht.

§. XIV.

Per quintum intelligimus rem ad vsum *certum* commodari.
Itaque commodans 1) certos fines ponere & 2) certum tempus com-
moda-

C

modatario constituere potest, commodatario autem haud licet 3) rem ad alium quam ad destinatum adhibere vsum,

L. 18. pr. ff. b. r.

4) commodans commodare debet rem ad vsum destinatum habilem, non magis nocivam. E. g. incumbit mihi ad terminum a iudicio quodam destinatum venire; Sempronius commodat mihi equum, sed ita comparatum, vt finem meum propositum propter eius contumaciam (weil es stetig ist) acquirere, & in iudicium venire nequeam, adversarius me contumacem accusat, & condemnor in expensas. Quaeritur, num agere possim contra commodantem ad damnum refarciendum? Respondeo, quod sic, quia mihi equum hoc vitio laborantem sciens commodavit,

§. XV.

Sextum docet vsui rei *certum* debere praefigi *tempus*. Vnde intelligimus 1) rem ante tempus finitum non posse repeti, nisi ob supervenientem necessitatem improvisam, e. g. commodo alicui equum ad tres septimanas, his autem tribus septimanis adhuc durantibus Princeps mihi iniungit laborem sine equo non perficiendum, tunc commodatarius tenetur ante tempus finitum equum mihi restituere. 2) Praefixo autem tempore finito commodatarius ad restitutionem rei commodatae obligari, ideo si res commodata ad oppignorandum, finito tempore est repignoranda,

L. 5. §. 2. ff. b. r.

nisi forte temporis spatium a commodante augeatur.

§. XVI.

Res autem commodata a) praetextu debiti alterius retineri nequit.

L. fin. C. b. r.

Intelligi autem debet debitum non liquidum, alioquin lex pugnaret cum

L. 18.

L. 18. §. 4. ff. cod.

L. fin. pr. C. de compensat.
quod bene observavit.

DIONYS. GOTHOPREDVS, in not. ad Corp. iur. civ.
Rom. & quidem ad lib. IV. Cod. Tit. XXIII. leg. fin.
not. 4.

Retinetur tamen ob impensas in rem commodatam factas,

L. 18. §. 2. ff. b. r.

dummodo sint maiores mercede, alias pro equo conducto dari solita,
vt iam supra observavimus, b) nisi res restituatur, sicut in aliis bonae
fidei contractibus in litem, ob dolum tamen tantum, non autem ob
culpam, intellige levem, iuratur.

L. 3. §. 2. ff. cod.

L. 5. ff. de in lit. iur.

§. XVII.

E septimo elucet, rem in specie esse restituendam: vnde con-
stat de causa, cur 1) commodans, qui alteri equum commodavit,
alium equum loco commodati accipere, cogi nequeat, quando nempe
equus commodatus adhuc exstat, & cur hac de re 2) commodans
quando non amplius equi commodati copia haberi queat, obligetur,
vt debeat esse contentus praestatione aestimationis a commodatario
peragenda, si a) perit eius culpa,

L. 17. §. fin. ff. b. r.

b) vel ab initio aestimatio venditionis gratia sit adiecta: tunc enim
omne periculum praestandum ab eo, qui aestimationem se praestatu-
rum esse recepit.

L. 5. §. 3. ff. cod.

L. 1. §. 1. ff. de aestimatoria.

Aestimatio enim & hic applicari potest, quia contractus commodati
est bonae fidei. Si aestimatio venditionis gratia sit adiecta, dominium
translatum esse putatur,

L. 10. pr. ff. de iur. dos.

aestimatio taxationis gratia autem eum in finem adiicitur, ut commodatarius, qui scit pretium, rem eo magis custodiat. In dubio praesumitur aestimationem taxationis gratia factam esse.

SAM. STRYKIVS in Usu moderno Pandect. ad. h. t.

§. XIIX.

Octava positio proponit rem debere restitui *non deterioratam*. Vnde fuit, 1) cur commodatarius non rem commodatam solum, sed id etiam, quod eam sequitur, sine detrimento, & in eo statu, quo fuit tempore celebrati contractus, restituere teneatur, & 2) cur, si res commodata non deterior restituta, id autem, quod eam sequitur, laesum sit, commodatarius, quando laesio eius culpa facta, ad praestationem culpaе obligetur.

L. 5. §. 9. ff. b. r.

Rem deterioratam redditam

L. 3. §. 1. ff. eod.

vocat *non redditam*, & non deterioratam, *redditam*. Is enim, qui rem deteriore reddidit, reddidisse non censetur.

§. XIX.

Nunc differentias contractus commodati ab aliis contractibus videamus. Differt autem I. a *mutuo*. Nam in mutuo 1) res in specie non restituitur,

L. 2. pr. ff. de reb. cred.

2) datur res fungibilis, 3) creditor non obligatur, ut rem datam ad certum & a dante praescriptum applicet usum, 4) requiritur, ut dans habeat dominium rei,

L. 2. §. 4. ff. eod.

5) dans plerumque usuras accipit, 6) transfertur rei dominium, 7) debitor mutuum per casum & sine eius culpa perditum restituere debet. Quae omnia in commodato regulariter cessant.

§. XX.

§. XX.

Differt commodatum II. a precario, In precario enim res data semper est revocabilis,

L. 12. ff. de precar.

nisi statim post traditionem revocetur; & pactum de re in certum tempus possidenda non prodest, quia huic conventioni desunt vires,

L. 12. ff. eod.

2) datur res neque ad certum tempus, neque ad destinatum usum,

3) qui precarium habet, dolum tantum praestat,

L. 8. §. 3. ff. eod.

nisi sit in mora,

L. cit. §. 6.

4) precarium morte dantis expirat.

L. 12. §. 1. ff. eod.

§. XXI.

Differt III. a locatione conductione, 1) quia tantum consensu partium celebratur, & per consequens est contractus consensualis, 2) quia in locatione conductione certa merces pro usu rei concesso praestatur,

pr. Inst. de locat. conduct.

L. 2. pr. ff. eod.

3) quia non omnes res possunt locari, 4) propter praestationem cul-
pae levis.

L. 9. §. 3. 5. ff. eod.

L. 12. pr. §. 1. eod.

§. XXII.

Differt IV. a deposito. In hoc enim 1) deficit rei usus, nisi depositarius, qui re sine consensu deponentis utitur, criminis furti reus esse velit,

L. 29. pr. ff. depos. vel contr.

L. 3. C. eod.

PAVL. 2. sentent. 12. §. 1.

2) deponens rem ad libitum revocare potest, 3) res immobilis regulariter non solet deponi, 4) depositarius tantum dolum praestat.

§. XXIII.

Nunc convenientiam commodati cum his contractibus proponam. Convenit autem 1) cum *mutuo*, quod 1) mutuum, quoque sit contractus realis, 2) accipiens se possit obligare,

L. 30. ff. de reb. cred.

§. XXIV.

Convenit II. cum *precario*, quod 1) dans dominium rei precario datae retineat,

L. 1. §. 3. ff. de precar.

L. 6. §. 2. cod.

2) etiam servitutes,

L. 3. ff. eod.

& 3) res mobiles precario concedi possint,

L. 4. pr. cod.

§. XXV.

Convenit III. cum *locatione conductione*, quod 1) dominium rei locatae remaneat in locatore,

L. 39. ff. loc. cond.

quod 2) conductor rem conductam in specie restituere teneatur, 3) quod certum tempus locationi conductioni praefigatur, vel certus usus determinetur, 4) quod res non deteriorata restitui debeat,

L. 11. §. 2. ff. eod.

5) quod dominus rei conductori impensas in rem factas restituere obligetur.

L. 55. §. 1. cod.

§. XXVI.

Convenit IV. cum *deposito*. Depositum enim 1) est contractus realis, 2) requirit, ut res in specie & quidem 3) non deteriorata restituantur,

L. 1. §. 16. ff. depos. vel contr.

4) permittit depositario impensas in rem depositam factas repetere.

L. 12. pr. ff. cod.

L. 23. cod.

§. XXVII.

§. XXVII.

Aliorum contractuum tam differentiam quam convenientiam praeteribo silentio, & praecipua de actionibus e contractu commodati oriundis proponam. Commodatum producit obligationem bilateralem sed *inaequalem*, seu *principalem & minus principalem*, vnde nascitur actio commodati *directa & contraria*. Illa quoque sub nomine *iudicii recti* quandoque venit,

L. 18. §. fin. ff. h. r.

& haec *contrarium* dicitur *iudicium*.

L. cit.

§ L. 17. §. 3. ff. eod.

§. XXIIIX.

Est autem actio commodati *directa*, quae datur *commodanti eiusque heredibus*, *adversus commodatarium eiusque heredes*, *ad rem commodatam cum accessoriis non deterioratam restituendam.*

§. XXIX.

Quodsi igitur alicui equum commodavissem, commodatarius autem finito usu equum mihi restituere recusaret, tunc actionem commodati directam instituo, & libellus fere sequentis erit tenoris:

Es hat Sempronius um auf die Naumburger Messe zu reiten, von mir auf sein Bitten mein Pferd auf vier Tage umsonst geliehen bekommen, und mir versprochen solches sogleich nach seiner Rückkunft mir wieder zu überliefern. Weil aber nun Sempronius schon vor acht Tagen wieder zurück kommen, zu Ueberlieferung des Pferdes aber, alles gütlichen Zuredens ohngeachtet, nicht zu bringen ist; Als sehe mich zc.

Petitum erit:

Daß mir beklagter Sempronius das ihm geliehene Pferd wieder zu überliefern, auch alle verursachte Kosten und disfalls erlittenen Schaden zu restituiren schuldig.

§. XXX.

Quando cum pupillo sine auctoritate tutoris contractus commodati initus est, haec actio contra illum locum sibi vindicare nequit, etiam si

etiamsi pubes factus dolum vel culpam admiserit, quia ab initio contractus fuit nullus.

L. 1. §. 2. ff. h. r.

Quicquid enim ab initio fuit nullum, ex post facto reconvalescere nequit. Excipitur tamen casus, quando pupillus vi huius contractus factus est locupletior, tunc datur commodanti actio commodati utilis,

L. 3. pr. ff. eod.

quia nemo cum damno alterius fieri debet locupletior.

§. XXXI.

Nulla quoque datur actio ex commodato illi, qui iniit commodatum cum furioso,

L. 2. ff. eod.

etiamsi factus sit locupletior: nam furiosus nullum contrahere potest negotium,

L. 5. ff. de R. I.

quia furiosi nulla est voluntas,

L. 40. ff. eod.

furiosusque siue stipuletur siue promittat, nihil agit,

L. 1. §. 12. ff. de O. et A.

& per consequens quoque contrahere nequit: ad ineundum enim contractum requiritur vtriusque partis consensus. Legislatores autem bene perspicientes contra omnem esse aequitatem, furiosos cum damno alterius fieri locupletiores, commodanti dabant actionem *ad exhibendum*, vt re exhibita rei vindicatio institui possit.

L. 2. ff. commod.

Secus autem esse mihi videtur, si tempore celebrati contractus, fuerit sanae mentis, ex post facto autem sanam rationem amittit & in furorem incidit: tunc enim ex commodato eum agere posse, puto.

§. XXXII.

Contra illum, qui rem ad alium, quam ad illum qui praescriptus est, adhibet usum, non commodati solum, sed furti etiam datur actio,

L. 5. §. 8. ff. eod.

E.g. si commodo alicui equum, vt illo vehatur Lipsiam, hic vero iter facit

facit Viennam, actiones memoratae locum sibi vindicant. Actio furti praesertim institui potest, si animus lucrum faciendi adfuerit. Furtum autem, quod hic committitur, non est rei, sed furtum usus, & hac de re duplicatum pretium, quod pro usu habere poterat, secundum ius Romanum commodanti praestandum erat, pro re autem nihil erat solvendum, quia res manebat domino. Hodie proceditur in hoc casu secundum

Art. CLXX. Const. Carol. Crim.

qui ita sonat: **welcher mit eines andern Gütern, die ihm in guten Glauben zu behalten und zu verwahren gegeben seyn, williger und gefährlicher Weiß dem Glaubiger zu Schaden handelt, solche Missethat ist einem Diebstahl gleich zu strafen.** CAROLVS V. loquitur tantum de deposito, sed extenditur quoque allegatus articulus ad commodatum.

SAM. STRYKIVS in *Vf. mod. Pand. ad h. t. §. 2.*

IO. IOD. BECKIVS in *annotat. ad C. C. Car. V. & quidem ad art. 180.* Quia *art. 180.* nullam certam exprimit poenam, quoque poena ordinaria negatur,

CARPZ. *Prax. Crim. qu. 85. num. 68.*

sed attendenda est dispositio

Art. CLX. Const. Crim. Car.

vbi sequentia leguntur verba: **Mehr soll ermessen werden der Stand und das Wesen der Person, so gestolen hat, und wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn mag und die Straff darnach an Leib und Leben urtheilen.**

§. XXXIII.

Ille, cui rem ad oppignorandum commodavi & illam non repignorat, ex commodato conveniri potest,

L. 5. §. 12. ff. h. r.

nisi intervenerit merces, tunc enim agitur vel in factum, vel ex locato conducto. Distinguendum autem, vtrum merces sit incerta, vel non in pecunia numerata, an autem certa & in pecunia numerata consistat? Si prius; actio in factum; Sin autem posterius, actio ex locato conducto institui potest: Quam distinctionem observatu dignam iudicavit.

D

DIO-

DIONYS, GOTHOFREDVS, in not. ad Corp. iur. civ. Rom. & quidem ad Lib. XIII. Tit. VI. Digest. L. 5. §. 12. not. 26. & 27.

Quodsi autem rem pro aliquo cum eius voluntate oppignoravi, & ille ad repignorandum commoveri nequit, tunc agendum erit ex mandato. Iterum aliter se habet, quando commodatarius rem ad oppignorandum commodatam vult repignorare, sed creditor pignus reddere recusat, ideoque repignoratio sine culpa (*) commodatarii impeditur, tunc commodans sumptibus commodatarii agit contra commodatarium, ex commodato, ad cedendas contra creditorem actiones, & his cellis commodans contra creditorem agere potest ex iure cesso.

(*) Sine culpa autem commodatarii repignoratio redartatur, si commodatarius pecuniam iam solverit, vel solvere paratus sit.

L. 5. §. 12. ff. h. t.

§. XXXIV.

Quod attinet ad heredes, regulariter tenentur pro ea parte, qua quisque heres est.

L. 3. §. 3. eod.

Limitatur autem haec regula sequenti modo 1) nisi forte vnus heredum habeat facultatem totius rei restituendae, tunc enim condemnatur in solidum,

Leg. cit.

& ita quidem, vt ne exceptio quidem: *non solus sum heres*; locum habeat, quae tamen in aliis actionibus personalibus non sine effectu opponitur.

Vid. IVST. HENN. BOEHMERI doctr. de actionibus sect. II. cap. VIII. de act. ex contr. nominat. §. XIV. not. p) pag. 531. edit. 6.

2) nisi heres ex facto proprio conveniatur.

L. 17. §. 2. ff. h. t.

Non excusantur heredes, quamvis defunctus admiserit dolum, & nihil ad eos pervenerit.

L. 12. ff. de O. & A.

L. 49. eod.

§. XXXV.

Agitur quoque contra illum, qui rem dolo vel culpa reddidit deteriorem, quae, vt iam supra dictum, pro non reddita habetur, & non solum

solum illae actiones, de quibus iam locuti sumus, locum sibi vindicant, sed etiam actio ex lege Aquilia institui potest,

L. 18. §. 1. ff. h. t.

L. 7. §. 1. eod.

ita tamen, ut si quis una harum actionum experiatur, aliae tollantur, nisi aliquid supersit, quod per institutam actionem commodans non potuit consequi,

Leg. cit.

L. 71. ff. de furt.

L. 34. §. 2. ff. de O. & A.

ideo, si institueris actionem furti, ex commodato quoque agere non licet.

§. XXXVI.

Duae res commodatae separatim peti possunt, nempe si separatae vel separandae sint; ad inseparabiles autem separatim restituendas commodans agere nequit, quia tunc res non salvae manerent.

L. 17. §. 4. ff. h. t.

§. XXXVII.

Si rem alicui inspiciendam dedi, & res perierit, quaeritur, quaenam instituenda sit actio? Respondetur, distinguendum est, utrum rem dederim mea causa, (e. g. do vas quoddam argenteum vel aureum aurifabro, ut mihi dicat verum pretium,) an dederim sui causa, (e. g. aurifaber accipit vas quoddam, ut aliud secundum hoc formet.) Si mea causa; tunc praestet mihi dolum tantum. Sin autem sui causa; culpam levissimam, & contra illum actionem furti instituere mihi licet.

L. 10. §. 1. ff. h. t.

L. 78. ff. de furt.

L. 17. §. 2. ff. de praeser. verb.

Notandum, quod vocabulum *inspectoris*, quo utitur

L. cit. 10. ff. h. t.

non denotet einen *Aufseher*, sed illum, qui rem respicit, *der die Sache ansieht*, vel ut verum exploret pretium, vel ob aliam causam.

§. XXXVIII.

Quodsi pluribus res fuerit commodata *indefinite*, h. e. ita, ut non constet, utrum *in solidum*, an *pro rata* obligati esse debeant, *in solidum*

obligati censentur, tam quoad *rem principalem*, quam quoad *accessoriam praestationem* ratione doli & culpa: quare duo quodammodo correi habentur, & vno solvente alter liberatur: & ambobus competit furti actio,

L. 5. §. 15. ff. *cod.*

& quidem in solidum, quia cum vterque teneatur in solidum, vtriusque interest in solidum: Sin autem res *definite* fuerit commodata, h. e. sub lege: *communi periculo*, tunc singuli tenentur *pro rata*, quia obligatio est *divisa*.

L. 21. §. 1. ff. *cod.*

§. XXXIX.

Si commodo, vt alter mihi commodet, agendum erit *praescriptis verbis*. E. g. habeo vnum bovem, vicinus meus quoque vnum habet, convenimus, vt ego ei meum commodem sub hac tamen lege, vt mihi quoque suum commodet, at meus perit apud vicinum; quaeritur, num ex commodato agere possim? Respondetur, quod non, sed *praescriptis verbis*, quia commodatum non fuit gratuitum.

L. 17. §. 3. ff. *de praescr. verb.*

§. XL.

Si rem alicui commodavi, & ille, qui missus est ad commodatarium rei commodatae causa, rem repetit & aufugit, videndum est, vtrum commodans eum miserit, vt vere rem repeteret, an tantum commonendi causa. Si prius; res domino seu commodanti perit. Sin autem posterius; commodatario perit, contra quem agi potest ex commodato.

L. 12. §. 1. ff. *h. r.*

Si conventum sit, vt commodatarius nemini rem commodatam committeret, sed ipse commodatarius perferret rem commodatam, & tamen commodatarius alicui rem ad dominum ferendam committit: tunc ad commodatarium spectat periculum, quia culpa praecessit.

L. 8. §. 4. ff. *mand. vel contr.*

Si dubium existere potuerat de persona & mandato nunci, cui commodatarius rem tradidit, tunc damnum praestare tenetur commodatarius, quia sine villo documento nuncio rem credidit.

L. 8. ff. *quod cum eo, qui in al. pot.*

L. 35. §. 4. ff. *de solus.*

L. 12. C. *cod.*

§. XLI.

§. XLI. Nunc agendum de actione commodati *contraria*, quae est actio competens commodatario eiusque heredibus, contra commodantem ad indemnitatem praestandam. Libellus sequentis esse potest tenoris:

Es hat mir Caius seine Pferde und Kutsche, als ich ohnlängst nach Leipzig gefahren, nachdem ich ihm darum ersucht umsonst geliehen. Nun war nicht allein die Kutsche und das Geschirr so schlecht, daß alle Augenblick etwas zu Grunde gieng, sondern, es wurde auch das Hand-Pferd krank, und sahe mich also genöthiget, so wohl wegen Reparirung des Geschirres, als auch um das Pferd curiren zu lassen, daselbst einige Tage liegen zu bleiben, da mich denn die Kosten auf 30. Thlr zu stehen kommen. Wann dann nun aber gedachter Caius diese impensas maiores mercede alias pro equis cum rheda conductis solvi solita zu restituiren sich weigert; Als sehe mich zc.

Petitur:

Daß Beklagter mir die 30. Thlr. auf Pferde-Cur, und Reparation des Geschirres, aufgewandte Unkosten, nebst allen übrigen erlittenen Schaden zu ersetzen schuldig.

§. XLII.

Actio commodati *contraria* etiam sine principali, h. e. *directa* moveri potest.

L. 17. §. 1. ff. h. r.

§. XLIII.

Si commodatarius rem perdidit, & in iudicio condemnatus aestimationem solvit, re reperta contra commodantem variae illi competunt actiones. Competit autem illi actio commodati *contraria*,

L. 17. §. fin. ff. cod.

in rem utilis,

L. 63. ff. de rei vind.

& *condictio sine causa*.

L. 2. ff. de cond. sine causa.

D 3

Habet

Habet quoque commodatarius electionem actionum & per consequens quoque ipsarum rerum.

L. 10. §. 1. ff. de pact.

L. 9. §. 1. ff. de tributor. act.

Quoties enim eidem, eadem de causa, plures competunt actiones ad idem & in eundem tendentes, toties actor cogitur alteram eligere. Reus conventus eligere potest vsque ad litis contestationem, quid solvere malit, est enim alternative obligatus.

L. 138. §. 1. ff. de V. O.

L. 106. in fin. cod.

L. 112. pr. cod.

10. OLDENDORPIVS in progymnasm. action. forens. class. IV. act. XIV. pag. 486. edit. de anno 1608.

Hoc enim casu alternative agendum est.

§. XLIV.

Ad restituendas impensas maiores, in rem commodatam factas commodatarius contra commodantem agere potest,

L. 18. §. 2. ff. h. r.

quamvis in iudicio directo conventus, ratione harum impensarum, exceptionem compensationis opponere queat.

L. cit. §. 4. cod.

Nec obstat

L. ult. C. de commod.

quae lex loquitur de alio debito, quod originem non ex contractu commodati ducit.

§. XLV.

Si commodans rem commodatam *importune*, i. e. ante usum finitum repetiit, tunc contra commodantem experiendum est iudicio contrario.

L. 17. §. 3. ff. cod.

Nam res semel ad certum usum commodata ante eum finitum repeti nequit, quia, quod principio beneficii ac nudae voluntatis fuerat, convertitur in mutuas praestationes.

§. XLVI.

§. XLVI.

Commodatarius *dolo* vel *culpa lata* commodantis laesus, contra illum agere potest. E. g. commodat mihi aliquis equum ferocissimum, cum tamen sciat, me artis equitandi non esse peritum, & equus me laedit, tunc ago ad damnum ab equo illatum resarciendum.

§. XLVII.

Commodatarius conventus actioni directae opponere potest, 1) rem, quam actor repetit, datam esse ad usum periculosum. Quod si enim hoc factum sit, tunc actor ipse particeps est rei interitus. 2) Rem Sempronio, neququam autem reo convento, esse commodatam. Unde sequitur, ut res, si Sempronio commodata sit, etiam reo vno eodemque tempore non potuerit commodari. 3) Usus rei commodatae nondum esse finitum, 4) mercedem intervenisse; per consequens non esse commodatum, quia non est gratuitum, 5) deficientis culpae, 6) retentionis ob impensas immodicas, 7) commodantem dominium & possessionem in reum transtulisse, 8) commodatum commodantis gratia initum esse.

§. XLIIII.

Quod ad 9) attinet exceptionem, nempe deficientis dominii; quaeritur: num haec exceptio sit attendenda? Respondetur, quod non: quia etiam res alienas, ut supra audivimus, possumus commodare. Secus est, si ipse dominus concurreret & dominium ostenderet, tunc enim res commodata domino restitui debet.

§. XLIX.

Commodans contrario iudicio conventus excipere potest, 1) impensas esse modicas, 2) se rem ob necessitatem improvisam ante usum finitum repetuisse, 3) usum esse finitum, 4) se non habere scientiam, rem commodatam male fuisse comparatam, 5) deficientis doli & culpae latae 6) commodatum commodatarii gratia esse celebratum, & hac de re 7) se non obligari ad culpam levem praestandam.

§. L.

Cum constet, commodatarium rem accepisse, hic vero dicit, se rem perdidisse, probatio factae amissionis commodatario incumbit.

Quod

Quod autem non culpa, sed casu perdidit, vtrum reus, an actor probare debeat? ex obvenientibus colligendum est casibus. In quibusdam enim casibus praesumitur innocentia rei, donec ab actore probetur contrarium; in quibusdam autem incuriae hominum ansam praebent, vbi reus suam deducere debet innocentiam. Demonstratio domini in continenti fieri posse, praesumunt Doctores.

STRUVIUS de vind. priv. num. 17. seqq.

§. LI.

De commodato cum ecclesia inito notandum est, tam personas quam res ecclesiasticas ante usum finitum haud posse revocari.

c. f. X. de commod.

ill. IO. RVD. ENGAVIUS in elem. iur. Canon. Pontific. Ecclesiast. lib. II. tit. XXXVII. membr. VI. §. 531.

Et eo facilius commodatum cum ecclesia potest celebrari, quia dominium non transit. Pallium plane non,

c. 2. X. de usu & auct. pall.

& res sacrae auctoritate superioris commodari possunt. Res sacras vnus ecclesiae in usum alterius concedi posse, certius est certissimo.

IO. GEORG. PERTSCHIVS in elem. iur. canon. & protestantium ecclesiast. lib. II. tit. XXXVI. §. CMLIV.

§. LII.

Hic habes, LECTOR BENEVOLE, hanc brevem commentationem *de commodato*, qua vt felicissime vtaris, rogo atque obsecro.

TANTVM!

S. D. G.




we



Kd 1349

(X2627061)



Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ENRICI GEORGII
EINHARDI,
MINIS SAXO-VINARIENSIS AD-
CATI EXTRAORD.

MENTATIO
DE
MODATO
EIUSQUE
IONIBUS,

FONTIBUS LEGUM
ERUTA.



ERIS & IMPENSIS JUNGNICOLIANIS,
1752.



11.